

Necessario dicendum est, quod licet actus Christi fuerint priores ipsa gratia, et gloria in genere causæ materialis, sunt tamen posteriores in genere causæ efficientis; unde cum jam gratia, et gloria sint principia illorum actuum, non possunt cadere sub merito. Quæ solutio sufficientissima est.

XXII. Nihilominus contra eam arguitur primo: Quia illæ operationes ut priores natura ipsa gratia, in genere causæ materialis non intelliguntur procedere a gratia: ergo ex hac parte intelligi possunt, quod illam possint promereri. Consequentia videtur nota, et antecedens probatur, quia si in illo priori intelligerentur procedere a gratia, jam intelligerentur formatæ ipso gratiæ influxu, atque adeo non disponere ad illam.

XXIII. Secundo, arguitur: Quia ex eo operationes illæ in nobis, ut priores natura ipsa gratia in genere causæ materialis, non sunt meritoria illius, quia ut sic informes intelliguntur, cum non intelligantur esse hominis grati; sed operationes Christi quantumvis priores ipsa gratia habituali, intelligebantur esse hominis grati per gratiam unionis: ergo sub ea ratione erant meritoria gratiæ habitualis.

XXIV. Ad primum horum respondetur primo, quod operationes illæ, licet prout in illo priori non intelligantur dimanare a gratia, eo quod in tali signo rationis non considerantur secundum habitudinem ad suum principium, quod est considerare genus causæ efficientis, tamen quia revera gratia habitualis erat illorum meritorum principium, sub merito eorum cadere non poterat.

XXV. Secundo, responderi potest, quod ratio meriti, ut docet D. Thomas quæstione xxix de veritate, articulo vi, ad genus causæ efficientis

reducitur, nempe moralis, et hac ratione eo ipso, quod operationes intelliguntur meritoria, intelliguntur etiam a gratia procedere, et consequenter esse nequeunt meritoria illius. Itaque operationes meritoria licet in genere causæ materialis, et dispositivæ præcedant, non tamen in illo genere præcise sumpto invenitur ratio meriti, sed etiam pensari debet in ordine ad principium a quo procedit.

XXVI. Ad secundum ex modo factis respondetur, quod dispositio hominis adulti, qua ad gratiam per contritionem disponitur, non est meritoria illius ex eo quod revera illa contritio a gratia procedit, et sic est ab homine revera grato, quamvis secundum illud prioritatis naturæ non sic intelligatur. Quod idem dicendum est de Christo quantum ad hoc; quando enim ad gratiam se disposuit per suum actum, illa dispositio licet in illo genere causæ materialis non intelligatur a gratia procedere, eo quod tunc non consideratur genus causæ efficientis, tamen revera talis actus a gratia procedebat, atque adeo illam non poterat mereri.

XXVII. Secundo, ad principale argumentum respondetur ex magistro Soto citato a Medina quæst. vii, art. xiii, dubio ii, et ex magistro Vincentio pagina 237, et pagina 526 cum aliis discipulis D. Thomæ, quibus consentit Suarez disput. xl, sect. ii, §. Ad secundum, quod Christus non fuit justificatus, vel glorificatus in anima ex dispositione liberi arbitrii, ita quod ejus actus præcesserint gratiam, et gloriam in aliquo genere causæ etiam materialis. Quæ solutio sine dubio fundamentum habet in doctrina D. Thomæ, quia in testimonio citato in argumento non affirmat D. Thomas, quod Christus fuerit sanctificatus per motum liberi arbitrii, sed se-

cundum motum liberi arbitrii, ad quod sufficit quod talis motus concomitanter se habuerit ad sanctificationem, id est, in eodem instanti, et in hoc esse potest similitudo inter sanctificationem Christi, et aliorum adultorum, et præcipue Angelorum, primorumque parentum. Neque oportet, quod etiam sint similes in hoc quod sicut in eorum sanctificatione motus liberi arbitrii præcedit, ut juxta mentem D. Thomæ docent ejus discipuli 1-2, quæst. cxii, art. ii, præcipue magister Medina, et Zumel ibi disp. i, dubio illi annexo, ita in Christo præcedere debeat talis dispositio in genere causæ materialis, quia est maxima diversitas in his sanctificationibus, nam in sanctificationibus reliquorum hominum constituitur primo speciale matrimonium inter Deum, et creaturam per gratiam; unde non mirum, quod de lege ordinaria prærequiratur saltem ordine naturæ utriusque consensus. Cæterum speciale matrimonium inter Verbum, et humanitatem factum fuit per gratiam unionis, ad quam non fuit prærequisitus consensus, atque adeo neque etiam ad gratiam ei debitam secundum legem ordinariam prærequiri debuit.

XXVIII. Quod si contra hoc arguas; quia D. Thomas supra quæst. ix, art. iii ad secundum expresse fatetur scientiam infusam esse dispositionem ad beatam: ergo etiam amor secutus ex scientia infusa erit dispositio ad amorem beatificum, quia eadem est proportio, et consequenter jam in aliquo genere, scilicet dispositivo, erunt priores actiones Christi, quam visio beata; et cum ex altera parte procedant ab homine grato per gratiam unionis, dicendum erit, quod talem gloriam de facto promeruerit.

XXIX. Respondetur, quod in eodem testimonio idem D. Thomas

expresse distinguit duplicem dispositionem, una quæ se habet ut via ad terminum, scilicet formam; altera quæ se habet per modum effectus ad bene esse formæ; et in hac ultima consideratione scientiam infusam appellat dispositionem ad beatam, qua etiam amor secutus ex scientia infusa potest dici dispositio, videlicet, consequens ad scientiam beatam, et amorem beatificum, et ad gratiam habitualement, sicut etiam ipse D. Thomas quæst. vii, art. xiii ad secundum appellat gratiam habitualement dispositionem ad gratiam unionis, cum tamen in nullo genere causæ, etiam materialis, illam præcedat, ut ibidem diximus.

XXX. Secundo, arguitur: Quia si propter aliquam rationem non esset dicendum, quod Christus meruit sibi gratiam, et gloriam, maxime quia oporteret, quod Christus caruisset tali gratia, et gloria pro aliquo tempore, quæ carentia dignitati Christi derogaret, ut docet D. Thomas in hoc articulo; sed ad hoc ut Christus mereatur suam gratiam, et gloriam non est necessarium quod illis aliquando caruerit: ergo nihil obstat quod illas promeruerit. Consequentia est bona, et minor in qua est difficultas probatur, quia non repugnat, quod meritum, et præmium sint simul in eodem instanti temporis, ut patet in augmento gratiæ, quod in eodem instanti temporis est, in quo est meritum illius. Et similiter ex parte Dei præmiantis non repugnat conferre præmium in eodem instanti, in quo est meritum ejus.

XXXI. Confirmatur, quia licet meritum comparetur ad præmium ut causa moralis ad effectum, et ut via ad terminum, tamen non repugnat simul esse causam et effectum, viam et terminum in eodem instanti temporis: ergo bene pote-

rit stare, quod in eodem instanti primo temporis habuerit gratiam, et gloriam, et illas promeruerit. Probatur minor in sole, qui in eodem instanti in quo creatus fuit causavit effectum illuminandi aërem, et ipsa illuminatio prout est mutatio quædam in fieri dicitur esse via, et prout est illuminatum esse est terminus: quæ omnia in eodem temporis instanti sunt. Et similiter dispositio ad gratiam consideratur ut via, et ut terminus in eodem instanti temporis.

XXXII. Ad hoc argumentum respondetur, quod quamvis loquendo de merito in communi non repugnet illud aliquando esse simul cum præmio, ut in casu argumenti, nihilominus in casu nostri dubii, si Christus mereretur gloriam essentialem animæ suæ, oporteret carere illa secundum communem cursum rerum, ut constat in gloria corporis, quam meruit, et hoc intendit D. Thomas in hoc articulo. Esset etiam necessarium ut ante gloriam essentialem animæ præsupponeretur actio libera Christi Domini, qua mereretur illam gloriam, et hoc quidem fuit impossibile, supposito quod Christus eam habuit titulo connaturalitatis, et quod prima operatio ejus fuit ipsa visio beatifica; non ergo repugnat Christum mereri suam gloriam ex eo, quod meritum, et præmium ut sic non possint esse in eodem instanti, sed quia cujuscumque operationis Christi meritoria, ipsa gloria fuit principium, non quidem formale, quale est gratia, sed veluti radicale, quia ex gloria animæ resultavit in Christo gratia, et virtutes juxta ea quæ diximus post secundam conclusionem nostram. Et per hoc patet ad confirmationem.

XXXIII. Tertio arguitur: Quia si opposita sententia vera esset, maxime quia gratia, et gloria connaturaliter erant ipsi Christo, atque

adeo non potuit carere illis; sed non repugnat habere illas ex debito connaturalitatis, et simul ex merito; ergo dicendum est, quod illas meruit. Probatur minor, quia gloria corporis ipsius Christi data fuit illi ex meritis (ut infra dicemus) et etiam data fuit debito connaturalitatis, nam eo ipso quod habebat gloriam animæ, debebatur connaturaliter illi gloria corporis, quam nisi interveniret miraculum, statim haberet: ergo nihil obstat ut Christus gratiam, et gloriam sibi promeruerit de facto.

XXXIV. Ad hoc argumentum respondetur concessa majori, negando minorem, et ad probationem ejus dico, quod non est simile de gloria corporis, et animæ, quia quamvis gloria corporis, nisi novum miraculum interveniret, consequeretur statim ad glorificationem animæ, tamen supposito quod usque ad resurrectionem non erat illam habiturus, bene potuit esse locus merendi illam, et sic de facto non fuit data quasi ad modum connaturalitatis; gloria tamen animæ taliter fuit data de facto titulo connaturalitatis, quod statim tamquam primum donum illi collata est, atque adeo tamquam principium unde reliqua dona haberent radicem, et consequenter nullus fuit locus, ut simul cum hoc debito connaturalitatis haberet eandem titulo meriti.

XXXV. Sed his omnibus sic dispositis auctoritatem D. Thomæ valde difficilem inveni, in qua videtur aperte docere, quod Christus meruit sibi gloriam animæ, et gratiam. Verba habentur in hac tertia parte, quæst. XLVIII, articulo primo in corpore, ubi postquam quæsierat an passio Christi causaverit nostram salutem per modum meriti, sic ait: « Respondeo dicendum, quod Christi

sto data est gratia non solum sicut singulari personæ, sed in quantum est caput Ecclesiæ, ut scilicet ab ipso redundaret ad membra, et ideo opera Christi hoc modo se habent tam ad se, quam ad sua membra, sicut se habent opera alterius hominis in gratia constituti ad ipsum. Manifestum est autem, quod quicumque in gratia constitutus propter justitiam patitur, ex hoc ipso meretur sibi salutem secundum illud Matthæi v: Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Unde Christus per suam passionem non solum sibi, sed etiam omnibus membris suis meruit salutem. » Hæc D. Thomas. Sed omnibus membris suis meruit gloriam essentialem, et gratiam: ergo etiam sibi; utrumque enim nomine salutis appellatur.

XXXVI. Ad prædictam auctoritatem, quam fateor esse difficilem, et a nemine, quem viderim explicatam respondetur primo, quod ut patet toto contextu articuli, et intento D. Thomæ, tantum vult docere, quod Christus sic meretur sibi, et membris, scilicet omnibus nobis ex eo quod est caput totius Ecclesiæ, sicut homo particularis in gratia constitutus sibi soli: non autem debet intelligi, quod eadem prorsus, et sibi, et nobis meruerit, sed sibi meruit gloriam corporis, et alia quæ dubio sequenti dicemus; aliis vero membris suis salutem, hoc est, gratiam, et gloriam, quam sibi non meruit. Et hanc existimo maxime quadrare litteræ; notanter enim D. Thomas non dixit in fine articuli, unde Christus per suam passionem non solum meruit salutem, sed potius dixit, non solum sibi, et ibi est punctus, quasi non solum sibi aliquid meruit, sed etiam omnibus suis membris meruit salutem.

XXXVII. Secundo, responderi potest, quod si intelligatur illud verbum,

taliter quod sibi meruerit salutem, et membris, non debet intelligi eodem modo, sed diverso taliter quod aliis meruerit gratiam, et gloriam absolute, sibi autem non illam gratiam, et gloriam secundum quod persona particularis erat, sed meruit quod illa gratia, quæ vocatur salus, esset principium gratificandi alios homines, quod Christus meruit. Itaque meruit sibi, quod sua gratia habitualis esset gratia capitis in alios derivanda. Prima autem explicatio videtur mihi magis consona textui, et doctrinæ D. Thomæ in hoc, et illo articulo.

ARTICULUS II.

Utrum Christus meruerit sibi gloriam corporis, et exaltationem sui nominis?

I. Quantum attinet ad gloriam corporis cum catholicis non est dissensio, omnes enim communiter in hoc conveniunt Christum eam sibi meruisse, quamvis in modo merendi illam aliquid dissentiat Scotus a reliquis, ut conclusione secunda dicemus.

II. Est autem dissensio cum Calvino hæretico, qui audacter sentit Christum Dominum nihil sibi meruisse, bene tamen nobis, et probat ex aliquibus locis sacræ Scripturæ, videlicet ex illo Joannis III: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit, etc.* et Joannis XVII: *Pro illis sanctifico meipsum: et ad Rom. VIII: Qui etiam proprio Filio non perpercit, sed pro omnibus nobis tradidit illum: et eodem modo, ait, loquuntur prophetæ; Isaias enim capite IX dicit: Puer natus nobis, etc. Zacharias cap. IX: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, etc.* In quibus locis solum dici-